



LATIN NYÉLVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapesti, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22., tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.


Per.
Lat
020

Resurgamus!

Christum redisse a mortuis adeo solidum¹ fundamentum est Christianae religionis, ut Sanctus Paulus, magister gentium, dicere ausus sit: «Quod si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est fides vestra.» Resurrectio Christi certam spem nobis addit olim nos quoque resurrecturos esse. Ut tamen ad caelestem gloriam resurgere possimus, prius oportet nos a scelestia vita resurgere.

Nemo, nisi qui cecidit, surgere potest. Nunc totum genus humanum humi prostratum iacet et — maxime quod ad mores et fortunas² attinet — quasi mortuum est. Plurimi modi rationesque proponuntur, quomodo e rerum difficultatibus emergi possit. Legati nationum optimi

fere continenter contiones habent,³ sed frustra, propterea quod remedia malorum non recte quaerunt. Non vident odium atque ambitionem hominum esse causam ingentium difficultatum. Semper in altero causam quaerunt neque cogitare volunt hoc esse solum impedimentum malorum sanctorum, quod suae falsae sententiae pertinaciter adhaerescunt. Malus exitus atrocis belli et regna mutilata et fines obsaepti⁴ tantam materiam igni concipiendō aptam⁵ congesserunt, quae si semel exarserit, a nullo extingui possit atque iis ipsis plurimum noceat, qui pertinaciter in mutila condicione⁶ conservanda perseverant.



¹ szilárd ²vagyon ³gyűlésezik ⁴elzárt ⁵gyülekkony ⁶állapot



Germani iam ad sanitatem redire⁷ incipiunt seque omnium virium contentione sublevare nituntur. Nos Hungari — insontes belli — plurimum amisimus et tamen invidiae vicinae nationes nobis maxime succensent. Videlicet metuunt, propterea quod mala animi conscientia⁸ mordentur.

Profecto resurgere nos oportet; nam
diu ita vivere non possumus. Dum tamen
sine Deo et bonis moribus solam rationem
rerum externarum respicimus neque in
primis animos commutare atque corrigere
studemus, nulla conata⁹ bene succedent.¹⁰
Sola fides Christi resurgentis et amor al-
terius genus humanum ex gurgite malo-
rum tollere poterunt. *Valentinus Fehér.*

7 észre tér 8 rossz lelkismeret 9 kísérlet 10 sikérül.

«Pater Noster» Hungarorum.

Carmen Melchioris Kiss : «Magyar Miattyánk.»

Tu, qui cometas sectaris per aethera
Et frena Soli, Lunae, stellis adhibes,
Ut gloriam per immensum mundum tuam
Semper celebrent cum honore et laudibus,
Oh Deus, qui longa saecula flocci facis,
Sed flosculum, sit tanti, Tu anxie colis:
Exerciti fatis ad Te confugimus,
Teque afflicti precamur contumelias,
Volente Te tota damna passos respice,
Qui iustus es et poenae parcus, nos iuva...
Pater noster. Tu, qui es in caelis!

Te semper adoravimus. In carice
Maeotica albo te mactavimus equo,
Diluculo, Martemque Ignemque diximus
Te et Vim, Turana erat dum nobis patria.
Mox Christum nuncupantes Te crucem tuam
Ferventi semper sanguine perfudimus.
Tibi datam fidem nunquam fefellimus,
Nec templa tua adoranda negleximus, —
At Te colentes quo tamen devenimus?
Querellam inferni nostram irrident daemones
Et Occidentis regna, quae servavimus,
Ingrata fide discerpsere patriam.
Sed *sanctificetur* tamen *nomen tuum.*

Coturnici et vagae aquilae latibula
Tu das amicis in ramorum bracchiis:
At Hungarorum milibus ter millies
Non est, ubi quieti indulgeant, locus.

Tu, quae Satanae retia telenderant
Perrumpas nobis, Te precamur, Domine!
Ut regnum nobis restitutum adveniat
Et: *adveniat regnum tuum...*

Tu, qui colis iustum piumque, Domine,
Qui tollis puros improbosque corripis,
Tu nosti, quae sit vita, heu, insontibus
Nobis: lugubris, plena contumeliis.
Sulcis daemones insevere inutiles
Herbas ibique messis facta est improbis.
Consume flammis arcem falsimoniae, —
Fiatque voluntas tua...

Frondenti queru cinge viri tempora,
Qui probus, audax, fortis in bello fuit,
Non periurus, neque umquam signa prodidit,—
Nimbos, procellas huic de caelo depellas.
Pacem volet, sulci modo ferant sui
Spicas laetas cynorrhodasque spineas.
Sic fit sincera pax et bellorum modus,
Sicut in caelo et in terra...

Ut Lazari tabescimus miseris,
Audin, Deus, laborum flebiles sonos?
Quae sunt nobis bona, comedunt advenae:
In vinclis nos, illi potiti patria.
Quorum expellas gregem, precamur, e solo
Nostro. Cur ira punimur ultra tua?
Terra Hungara dulces ferat fructus suis...
Panem quotidianum da nobis hodie...

Delictorum, ah, pudetque paenitetque nos,
Qui creduli, heu, nil nobis praecavimus!
Insanientem namque nobis legimus
Ducem, qui causa nostrae nunc miseriae.
Hyaenarum unguis nostra adunci corpora
Secant et flatus mortis frigidus adest...
Oh, Domine, mores nostros mutabimus:
Dimitte nobis nostra debita...

Posoniae si cantu ludunt Hungari,
Cassoviae si campanae vox Hungaræ
Auditur perque campos Transsilvaniae et
In monte Cenk fides personant Hungaræ
Et terminorum labuntur ludibria
In Bácska, Bánát (sunt iucundæ hæ plagæ!) —
Orbis tum gentes pectore complectimur
Dimitimusque nostris debitoribus.

Notam nefandam deme nobis Domine
Portasque claude diras aegritudinum,
Exstingue visa vana et noctis somnia et
Ne nos inducas in temptationem...

Misereat gentis te honestae et ne sinas,
Tundantur terga ut sanguine madentia.
Et «Halleluja» veniatne, quaerimus...
Libera nos a malo, ah, Domine!

Pater, qui metas circumscribis siderum
Cuiusque rore flos viget cyclaminis,
Reddas, potes, precamur, nobis patriam
Nunc et in aeternum... Amen...



Sus et bos.

Canis in cavaedio¹ in medias suas insiluit. Statim ingens grunnitus² oritur. Una e suis bovi quiete ruminanti³ gloriose⁴ clamat:

— Nonne magnus est inter nos amor?
Ecce enim, ut commune periculum sentimus, statim grunnumus.⁵

— Mutua defensio tantum amorem sui⁶ ostendit — respondet bos. — Nisi continenter pro cibo inter vos rixaremini⁷ et nisi nonnunquam proprios catulos⁸ devorares, melius de vobis existimarem.

Taurus et bos.

Taurus e viridibus ramis stomachans⁹ observabat, quomodo filius bubulci¹⁰ bovem ingentem tractaret et flagello crepitans¹¹ eum hue illuc ageret.

Taurus cum patientiam bovis diutius ferre non posset, rugiens¹² erumpit. Puer timore perterritus quiritanus¹³ in dumetum¹⁴ insilit.

— Cur, frater, — inquit taurus — ita te tractari pateris? Ego, qui sum tuo genere natus, paene studio ulciscendi morior.

— Evidem semper existimavi me per placidos mores et quietum animum officia que a molestiis¹⁵ servari — respondet bos.

— Homines, frater, ignorare videris. Nonnunquam cornibus¹⁶ eos petere¹⁶ debemus, non ut noceamus, sed ut nos laedere timant.

Val. Fehér.

Canis et ursus.

Fabula ad narrationem A. Fáy adaptata.

Magnum honoris gradum canis in aula leonis nactus est. Cuipiam caudam¹⁷ obterere¹⁷ optime didicit, tantum in canes, sui similes, tutelam suam expertentes murmurabat¹⁸ fremebatque¹⁸ saeve. «Cur ita tractas tuos?» —

interrogat eum ursus.
«Ne quis me vituperet — respondet canis — impudenter meis



tantum me favere.» «Recte hoc, — ait ursus — tamen ingratus esse videris, qui tutelam deneges tuis pessimeque eos tractes. Malim credere ob ignaviam tuam illos a te tam aspere tractari, ne prorsus appareat, quo sanguine ortus sis!»

¹ udvar ² röfögés ³ kérődzik ⁴ dicsékedve ⁵ röfög ⁶ önszeretet ⁷ civakodik ⁸ kölyök ⁹ bosszan-kodva ¹⁰ héres ¹¹ pattogtat ¹² bóg ¹³ sikoltoz ¹⁴ sürü ¹⁵ zaklatás ¹⁶ öklel ¹⁷ farkát csóválja, hízelleg ¹⁸ rámordul.

De aliquot vocabulorum et locutionum originibus et mutationibus.

Nonne vobis mirum visum est pendere, cum esset transitiva forma verbi pendere¹ significaretque facere, ut aliquid pendeat,² habere etiam vim ponderandi, pensandi³ atque numerandi et solvendi? Cogitastisne, quid esset causae, cur hae ad speciem⁵ tam inter se discrepantes unius eiusdemque verbi exstitissent significationes. Iam vero vobis exponam et verbi pendere et aliorum vocabulorum et locutionum significationes non sine causa nec temere et fortuito esse exortas. Quodsi vocabulorum et locutionum origines et progressus⁶ diligentius examinaveris, reperies profecto significationum mutationes et varietates non hominum inventi libidine partas esse, sed saepe ad rerum, morum, institutorum conversiones

¹ függni ² függeszteni ³ mérleglni ⁴ fizetni
⁵ látszolag ⁶ fejlődés.

et inclinationes esse referendas. Ita fit, ut origines et progressiones vocabulorum et locutionum indagantibus in priscarum aetatum mores et instituta et in primordia⁷ humanae societatis, quae nullis iam monumentis litterarum consignata sint,⁸ introspicere contingat.

Itaque propositum est mihi vobis a pendere orsus non praestituto⁹ ordine, sed tamquam per saturam¹⁰ aliquot vocabulorum et locutionum ortus ac progressus explicatos exhibere.

Pendere oriundum igitur, ut dixeram, a pendere primitus¹¹ significavit facere, ut aliquid pendere. Antiquissimis vero temporibus, cum nullus pecuniae usus esset, merrium pretium primum pecu, unde pecunia orta est, aestimabatur, post aere rudi merces commutabantur. Aes rude autem venditori non adnumerabatur, sed ponderabatur atque hoc ita, ut in lance¹² positum pendetur.¹³ Ita factum est, ut pendere ponderandi et numerandi atque etiam solvendi vim obtineret, quam vim invento aere flato et signato,¹⁴ cum aes iam non necesse esset, ut ponderaretur, sed pro vendita merce adnumeraretur, usque retineret.

Antiquissimum pendendi instrumentum erat *libra*,¹⁵ quae ex iugo constabat, ex quo binae lances pendebant. Ex medio iugo exstebat *examen*, quo ponderum aequalitas vel inaequalitas probabatur et indicabatur. Est autem examen lingua vel ligula¹⁶ librae oriundum a verbo exigere (exagere, exagmen), quod inter alia idem valet atque explorare, exquirere ut columnas ad perpendicularium¹⁷ vel pondus margaritarum manu exigere.

Examinis nomen significatione explorationis vel probationis vel temptationis accepta nostro quoque sermone receptum nostra aetate per vocem *vizsga* exterminatum est. Examinis functio¹⁸ luculente¹⁹ describitur Verg. Aen. XII. 725—7.:

«Iuppiter ipse duas aequato examine lances
Sustinet et fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor et quo vergat pondere
letum.»

Est etiam *momentum* ex movimento (movere) ductum ad libram pertinens declaratque vim, qua pondera ex aequilibrio²⁰ excussa aut sursum tollantur, aut deorsum deprimantur. Hungarice dicimus *döntösüly*. Translate quoque ponitur, ut notum illud Livianum: «haud parvum momentum ad animum eius moliendum adventus Hannibalis fecit».

A Graecis mutuata sunt *trutina*¹⁵ et *statera*.¹⁵ Statera tenuiores ac subtiliores res pensabantur, ut scriptum legitur apud Ciceronem de oratore II. 109 ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur.

Librae adnumeres licet praepositionem *instar*, quae, ut probe scitis, cum genitivo coniungitur. Examen enim, cum se ex motu et agitatione ponderum exaequatione in aequilibrium recipit, instat. *Instar* ergo rerum aequalitatem significat, ut «*instar montis equum aedificant*», id est equis magnitudine aequat montem.

Fortasse singas vocem *delirare*²¹ originem ex quodam animi motu vel ex mentis perturbatione duxisse et nihil²² commune²² cum rebus, quae sensibus percipientur²³ habere.²² Falso! Delirare enim derivatur ex re nimis corporea, ducitur autem ex lira,²⁴ quae sulcum significat. Delirare quidem est lira id est sulco decedere, a recta via deerrare; ut is, qui a recta via deerrat, errat, ineptiarum²⁵ quid facit, ineptit, insanus est, insanit. «*Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi*», h. e.: *quidquid ineptiarum faciunt reges, populus poenas dabit.* (Hor. Epist. I. 2, 14.)

Sunt quaedam vocabula, quorum origo in populari religione ne dicam superstitione²⁶ quaerenda est, ex quibus unum atque id maxime excellens adferam.

⁷ eredet ⁸ feljegyez ⁹ előre megállapított ¹⁰ találomra ¹¹ eredetileg ¹² mérlegserpenyő ¹³ felfügesztetett ¹⁴ vert pénz ¹⁵ mérleg ¹⁶ (mérleg) nyelvecske ¹⁷ mérőön ¹⁸ teljesítés ¹⁹ pompásan ²⁰ egyensúly ²¹ kitér a barázdból, örjöng eszelősökük ²² nincs semmi köze ²³ felfog ²⁴ barázda, mesgye ²⁵ döreségek ²⁶ babona.

Invidere est compositum ex praepositione in et verbo videre et primitus significavit aliquem usque videre, aliquem intentis oculis intueri, in aliquem oculos intendere. Populari autem sententia credebatur, immo vero vulgo etiamnum creditur oculorum torvo²⁷ ac maligno²⁸ obtutu hominibus noceri, nam in maligno et torvo oculorum obtutu vim infestam et calamitosam²⁹ inesse putatur. Quare si quis aliquem invidet, ei male vult, eius secundam fortunam aequo animo ferre non potest. Invidere principaliter eius significationi pariter cum accusativo coniungebatur, ut Accius frg. 424 R: «Quis mortalis florem liberum invidet meum?» Post sive Graecum φθονεῖ erat causa, sive quia verbi male velle accepit vim, sive ceteris ex in compositis verbis similiter cum dativo coniunctum est.

Carolus Ács.

²⁷ mogorva ²⁸ ellenséges indulatú ²⁹ rontó ³⁰ eredeti, ellső.

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Epigrammata Martialis selecta.

Mille ferme et quingenta epigrammata Martialis nunc quoque supersunt, in quibus laudantur praesertim ingeniosi hominis ioci plurimo sale¹ aspersi,² nec candore³ minus. Quam ob rem epigrammata recensuimus et quoniam discipulis nostris nulla sane ea legendi offertur occasio, ad usum eorum nonnulla speciminum loco ephemeridi nostrae inseri voluimus. Sed aliquid prius de ipso poëta ac vita eius exponere nequaquam videtur inutile.

Marcus Valerius Martialis Bilbili in Hispania natus est quarto primi p. Chr. n. saeculi decennio. Pater epigrammaton iuvenis admodum Nerone imperante Romae vivebat et ad epigrammata scribenda se conferens omnium bonorum studia sibi facile conciliavit. In prooemio libri IX. epigrammaton haec de se scribit:

Ille ego sum nulli nugaram⁴ laude secundus,
Quem non miraris, sed puto, lector, amas.
Maiores maiora sonent: mihi parva locuto
Sufficit⁵ in vestras saepe redire manus.

A Domitiano dignitate equestri ornatus quamquam spectatus omnino poëta fuit, nihilominus pauper in patriam suam rediit, ubi mox anno CII. vitam depositus.

Inter aequales Plinius Minor mortis poëtae mentionem facit in epistola 21. l. III. ita: «Audio Martialem decesisse et moleste fero... Proseculus eram⁶ viatico⁷ secedentem⁸ dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis, quos de me composuit... Dedit enim mihi, quantum maximum potuit, datus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius, quam gloria et laus et aeternitas? At non erunt aeterna, quae scripsit; non erunt fortasse, ille tamen scripsit, tamquam essent futura». Quod ad hanc opinionem Plinii attinet, erravisse eum sine dubio et epigrammata Martialis immortalitatem donavisse luce clarius est. Namque posteritas suum Martiali decus rependit ita, ut non immerito Martialis epigrammaticorum poëtarum princeps dicatur. Martialis enim epigrammatis acumen⁹ ingenii⁹ dedit, quod deinceps proprium epigrammatis debet omnino haberi.

Quomodo poëta ipse de epigrammaton libris XIV senserit, elucet e. versibus:

I.

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala
plura,
Quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

II.

Scribere me quereris, Velox, epigrammata
longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis!

III.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat,¹⁰ odit
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

Ad poëtas, quorum versificationem ludificare vult:

IV.

Ut recitem tibi nostra rogas epigrammata
Nolo.

Non audire, Celer, sed recitare cupis.

¹ élc ² fűszerez ³ öszinteség ⁴ tréfa, bohóság
⁵ elegendő ⁶ megájándékoz ⁷ útravaló ⁸ amikor
elutazott ⁹ elmeál, csattanó («pointe») ¹⁰ ásít

V.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli.
Carpere vel noli nostra vel ede tua.

VI.

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis venderé, non legere.

VII.

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo quam recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:
Si dici tua vis, hoc eme, ne mea sint.

Alio loco de eodem Fidentino:

VIII.

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus:
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

De quodam medico:

IX.

Nuper erat medicus, nunc est vispillo¹¹ Diaulus:

Quod vispillo facit, fecerat et medicus.

De quodam causidico:

X.

Cum clamant omnes, loqueris tunc, Naevole,
tantum,

Et te patronum causidicumque putas.

Hac ratione potest nemo non esse disertus.¹²
Ecce, tacent omnes: Naevole, dic aliquid.

Epigrammata varii argumenti:

XI.

Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane.
Dantur opes nulli nunc nisi divitibus.

XII.

Occurris quoconque loco mihi, Postume,
clamas

Protinus et prima est haec tua vox «Quid
agis?»

Hoc, si me deciens una conveneris hora,
Dicis: habes puto tu, Postume, nil quod
agas.

Inter duos amantes, Leandrum et Hero¹³
Hellespontus fuit. Ideo Leander omni nocte
fretum transnatavit, ut Hero videret, donec
gurgitibus haustus periit:

XIII.

Cum peteret dulces audax Leandros amores
Et fessus tumidis¹³ iam premeretur¹⁴ aquis,
Sic miser instantes¹⁵ affatus dicitur undas:
«Parcite dum propero, mergite cum redeo.»

Sebastianus A. Módry.

¹¹ sírásó ¹² ékesenszóló ¹³ feldagadt ¹⁴ elkap
¹⁵ fenyeget, üldöz.

Oppidum sepultum. (8)

Scripsit: Győző Morvay dr.

In Latinum convertit: Valentinus Fehér.

10. Decius quas res alias viderit?

— Quo ergo ibimus? — interrogat in vestibulo Decius.

— Quo fortuna ducet — ait Publius.

— Recta¹ certe — inquit Cornelius.

In forum venerunt triangulum.² Id non fuit simile maiori foro; nam, quasi cavaedium,³ muris, qui ianuas habebat, erat circumdatum. Centum in eo erant porticus. In medio templum in honorem Herculis aedicatum erat. In foro stabat aedificium rotundum octo columnarum Doricarum tholo⁴ tectum. In foro erat puteal.⁵

Hinc adolescentes prospectu⁶ ad totam vallem Sarni fluminis amoenissimo fruebantur. Inde per theatrum venerunt ad viam Stabianam, ubi Decius tabernam librariam⁷ conspexit.

— Tales tabernae apud nos Aquinci rarae sunt.

— Quid ita?⁸ num apud vos libri nulli leguntur?

— Leguntur quidem in Pannonia libri, sed illi ex Italia portantur. Meus quoque pater habet bibliothecam.⁹

— Eamus intro — ait Publius.

In loculis¹⁰ scripta in tabulis incisa et volumina collocata sunt. Offerente librario¹¹ Cornelius fabulam recentissimam emit et per servum domum mittit.

Deinde per viam Stabianam ibant. Cornelius iterum iterumque monuit Decium, qui domos incolerent quaeque res in eis pulchrae videri possent.

A via Stabiana in Nolanam deflectunt,¹² Ante quandam domum concursum populi vident. Homines circa praeconem plurimi stabant.

— Quid fit? — interrogat Decius.

— Videamus! — ait Cornelius.

Adolescentes accidunt.

— Cuiā¹³ domus est? — quaerit Decius.

¹ toronyiránt ² háromszögű ³ udvar ⁴ kupola
⁵ kútkerítés ⁶ kilátás ⁷ könyvesbolt ⁸ Hogy-hogy?
⁹ könyvtár ¹⁰ pole ¹¹ könyvkereskedő ¹² letér ¹³ kié.



— Iucundi mensarii¹⁴ — respondet Publius. — Mihi videtur hic fore auctionem.¹⁵

Ante domum hasta in terram infixa stans significabat res alicuius debitoris venditumiri.

— Supellectilia Claudi Figuli sub hasta veneunt! — clamat praeco. — Cui libet, intersit auctioni. Sed tantum homo pecuniosus veniat, quia hic res pecunia praesenti¹⁶ veneunt; qui pecuniam habet nullam, ne obsit ceteris; nam pecunia statim solvenda erit.

Ad praeconem stabat magister auctionis,¹⁷ qui vice¹⁸ magistratus fungebatur.¹⁹ Res vendendas servi e domo Iucundi efferebant.

Possessor rerum maestus vicino queritur Iucundum mensarium, quod mercedem habitationis²⁰ solvere non posset, renuntiasse²¹ sibi cenaculum et mercedem facere²² ex supellectilibus.

Iucundus quoque mensarius postea prodit, cuius servi tabulas ceratas secum ferunt. In iis debita²³ inscripta sunt.

— Ecce sella ex arbore dura! Primum tribus assibus constat.²⁴ Quis contra licetur?²⁵

Statim invenitur, qui nutu capitis aut verbis aut digitis sublatis se licitum esse pronuntiet. Nonnulli quattuor, quinque, sex asses licentur. Tandem octo assibus venditur.

Ceteris quoque rebus ita factum est.

Adolescentes finem auctionis non exspectantes in via Nolana iter continuant.

— Nisi me frustrantur oculi²⁶ — ait subito Cornelius, — ibi venit servus noster Caecilianus.

— Ita est — ait Publius.

— Quo vadis? — interrogat servum, qui tribus aliis servis praebat. Singuli singulas corbes²⁷ in capite ferebant.

— In fullonicam²⁸ imus.

— Vobiscum ibimus — ait Decius.

Fullonica erat prope viam Nolanam. Huc ditiorum Pompeianorum servi plerumque vestes ferebant, quae a fullonibus²⁹ elutriarentur.³⁰ Vir enim Romanus vestimenta munda esse maxime volebat; togam, quasi sol, candidam esse oportebat; porro³¹ rugas³² osli fullones tani pulchre praeparare potuerunt, ut vestimenta digna essent, quae dominus sibi indueret.

In fullonica vestis primum in lacum³³ aquae Sarni, cretae aliasque materiae plenum inicitur. Deinde in lacu operarii³⁴ pedibus vestem terunt. Hanc calcaturam³⁵ in trinum numerum³⁶ faciunt. Haec est vestium lavatio. Tum vestis in corbe sternitur, in corbe sulphur³⁷ accenditur, nidor³⁸ sulphuris vestem transmeat³⁹ et candidam facit. Dein exten- ditur, longo peniculo⁴⁰ teritur. Tum ponitur in prelo⁴¹ xerantico,⁴² in quod quanto artius impressa est, tanto albior fit et candior.

His visis adolescentes animi causa⁴³ elogia⁴⁴ in parietibus inscripta aut incisa aut insculpta legere constituerunt. Haec elogia, quae plurima Pompeis inveniuntur, quandoque maxime ludicra⁴⁵ sunt: in iis nuntii, theatrica relations,⁴⁶ publicae invitationes, plurimae iocosae inscriptiones.

In quadam domo haec leguntur: «Vinarium⁴⁷ e taberna amissum est. Si quis id rettulerit, sexaginta sestertios dabo; si vero etiam furem comprehensum adduxerit, du- plum dabo.» Alibi: «Iubeo salvere Victoriam. Zozimus Victoriam salvere iubet. Quaeso, opitulare⁴⁸ mihi, misero pauperi, quia nul- lam habeo libellam.» Alibi haec verba vi- dentur: «Salve, Modeste. Ubicunque es, cupio, ut bene sit tibi.»

Aliquis veterator⁴⁹ haec in cauponae⁵⁰ pa- riete inscriperat: «Caupona⁵¹ dicit te, si vel unum assem solveris, a se vinum acceptu- rum, sed si duos solveris, melius vinum accepturum et si plures solveris, vinum te Falernum poturum esse.»

Adolescentes maxime rident hanc inscrip- tionem: «Habeo⁵² pituitam.»⁵³ Sed risus in cachinnum⁵⁴ vertitur, cum haec legunt: «Anno 781. pridie Non. Iul. L. Monio Aspre- nate, A. Plotio consulibus asinus in his aedibus natus est.»

14 bankár 15 árverés 16 készpénz 17 végrehajtó

18 képvisel 19 lakásbér 20 felmond 21 nyeréskedik

22 adósság 23 ára 24 többet igér 25 ha szemem nem csal

26 kosár 27 ványoló műhely 28 ványoló 29 kimos

30 azután 31 ránc 32 kád 33 munkások 34 taposás

35 hármas ütemben 36 kén 37 göz 38 átjár 39 kefe

40 sajtó 41 száritó 42 mulatságból 43 fölirások 44 mu-

latságos 45 színházi jelentés 46 boros kancsó 47 segít

48 fillér 49 huncut 50 koresma 51 koresmárosné

52 náthás vagyok 53 kacagás.



LOCOSA.

Iulia, Augusti filia mature habere coepit canos,¹ quos legere secrete solebat. Subi-
tus interventus patris aliquando oppressit
ornatrices.³ Dissimulavit⁴. Augustus depre-
hensis⁵ super vestem eius canis et aliis ser-
monibus tempore extracto, induxit⁶ aetatis
mentionem interrogavitque filiam, utrum
post aliquot annos cana esse mallet, an
calva;⁷ et cum illa respondisset, *Ego, pater
cana esse malo*, sic illi mendacium obiecit:
Quid ergo istae te calvam tam cito faciunt?

Item cum gravem⁸ amicum audisset Iulia
suadentem melius facturam, si se compo-
suisset⁹ ad exemplar paternae frugalitatis,⁹
ait: *Ille obliviousit Caesarem se esse; ego
memini me Caesaris filiam.* Ex Macrobo, II, 5.

*

Mater: Quid hoc rei est? Mentene te cap-
tum esse,¹⁰ qui psittacum tam spurcas¹¹ res
doceas?

Filius: Immo doceo eum, quae vocabula
in urbanorum¹² hominum circulo¹³ usurpare
nefas sit.

*

«Heri quinque licet vestifices¹⁴ adissem,
nihil tamen earum, quibus mihi usus esset,
rerum quidquam impetrare¹⁵ poteram.»

«Quidnam id esse dicam?»

«Fidem!»¹⁶

*

Domina cum in pavimento¹⁷ lapsa esset,
ancilla exclamavit exprobrans:¹⁸ Spero te
posthac desitaram esse me convicio¹⁹ corri-
pere,¹⁹ quod pavimentum cera²⁰ non recte
polivissem.²⁰

C. Ács

¹ ösz haj ² meglep, ott ér ³ hajdészítő nő ⁴ úgy
tett, mintha nem vette volna észre ⁵ felfedez ⁶ szóba
hoz ⁷ kopasz ⁸ komoly ⁹ ha utánozza apja taká-
rékos életmódját ¹⁰ megbolondultál? ¹¹ ocsmány
12 művelt ¹³ társaság ¹⁴ szabó ¹⁵ megkapni ¹⁶ hitel
17 rakott padló ¹⁸ szemrehányólag ¹⁹ összeszid
²⁰ kifényesít.

AENIGMATA.

I.

Pythagoras, philosophus ille magnis sapientiac
incrementis ornatus a Polycrate interrogatus
quotnam discipulos haberet, ille: «Dimidia pars
eorum — inquit — arithmeticis studet, quarta
pars physicis, pars septima utrisque. Praeter
hos etiam tres discipulas habeo». Quot erant
discipuli cuncti Pythagorae?

II.

- | | |
|----|-----------|
| 1. | • |
| 2. | • • • |
| 3. | • • • • |
| 4. | • • • • • |
| 5. | • • • • |
| 6. | • • • |
| 7. | • • |

Pro huius figurae pun-
ctis litterae A A D E I I I I
I L M N O O R S S S U U U
U V V X ita ponantur, ut et
series media (4) et linea
ad perpendiculum directa
nomen clarissimi poëtae
ostendat.

III.

*Pallas me docuit texendi¹ nosse laborem.
Nec pepli² radios poscunt, nec licia³ telae.⁴
Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.*

¹ szövés ² himzett (felső) ruha ³ szál ⁴ szövet.

=====

Solutiones aenigmatum numeri VII.

I. Cursus, rursum, Remus, risus Iris. — Mer-
curius. II. Series directae: 1. Minerva, 6. is, 7. in,
8. vis, 9. Ti, 11. si, 12. Ithacus, 13. aa, 14. stl,
15. eho l, 16. et, 18. tu, 19. superus. Series libratae:
1. Miltiades, 2. is, 3. Epidaphne, 4. vi, 5. Anti-
stius, 10. ita, 11. sus, 17. tu, 18. tu.

Aenigmata recte dissolverunt: Clara Be-
hyna, Eug. Dallmann, Magdalena Fajcsék, Em.
Farkas, Math. Gombos, Eug. Keller, Jos. Majoros,
Elemerus Nagy, Marianna Renner, Georgia Szil-
vássy, Marianna Takács, Magd. Zarka. — Prae-
mium Elemerus Nagy et Eugenio Dallmann sorte
obvenit.

=====

Epistolia Officialia.

Lectores nostros, qui IUVENTUTIS pretium
nondum solverunt, rogamus, ut rem quam pri-
mum componere velint.

Magd. Fajcsék, Lud. L'Eplattenier, Andr. Bar-
ongyi, Zolt. Talán, Alex. Skripecz, Io. Mangel,
Car. Tilly, Iul. Cenner, Gabr. Petrőczi: Opuscula,
quae misistis, prodibunt, sed patientiam oro,
dum publicari possint.

=====

Moderator ephemericis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22,

ad quem epistolae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-
scholarium Catholicorum. — A Katholikus

Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)